

CHR. FUNCCI M.
COMMENTATIO

De

DIE NOMINALI,

Ad

VIRUM

Ampliss.

DN. ANDREAM BECCERUM JC.
SERENISS. ELECT. SAX.

â Quæst. Stolp.

Patronum,

AN. ÆR. CHR. cto lxx liix.

PR. CAL. DECEMBER.

ipsis

nempe

NOMINALIBUS

exhibita,

sed

edita

TIPO BEUTHERIANO.

~~†~~

~~z. CAE. z.~~

II. diss. A
e 9, 37

II. A. 169 (37)

COMMENTATIONIS
De
DIE NOMINALI
SUMMARIUM.

Natalis solemnitas frequens apud Persas, Ægyptios, Judæos, Græcos, Siculos, Romanos, Danos. Dies Regni suscepti in Sacris. Discrimen inter γενέθλια & γενέσια. Romanorum Genethlia & Genethliacum. Annulus solo die natali gestari solitus. Persii Locus illustratus. Ludi Julii Danorum. Nominalis diei festivitas unde. De hujus ortu conjectura. Nominalia Ebræorum, Græcorum, Romanorum. Ebræi cur nomen octavo à partu die infantibus imposuerint, finitâ nempe circumcissione. Parentum aut avorum nomina posteris cur imposita. Αμφιδρόμιος dies. Αμφιδρόμια. Horum solemnitas. Αμφιδρόμιος. Quonam apud Græcos die nomen infantibus impositum. Δεκάτη. Δεκάτῳ ἐσιάσαι. Δεκάτην γενέσιν. Impositioni nominis susceptor qu. præstitutus. Romanorum dies Iusticus. Locus Ulpiani illustratus. Convivium Iusticum. Cur nomina infantibus apud Romanos ante diem octavum non imposita legantur. Alexandri ab Alexandro verba, ritus hujus totius illustrandi causâ, proferuntur. Annua Nominalium festivitas, hodie frequens, inde orta facilè colligitur. Applicatio ad præsentem diem Nominalem. FORMULA quædam precandi veterum concludit.

VIR



VIR. AMPLISS.



Atalem quotannis solemnī festivitate repetere moris fuisse ac juris ferè gentium ab antiquissimis temporibus, ex Historicorum monumentis aliquot ante annos, *peculiari de DIE NATALI edità Commentatione*, demonstratum ivi. Mos hic utiq; erat totius Orientis. Apud Persas enim suum quemque diem Natalem pro facultatibus multis sacris ac opiparis conviviiis coluisse *PLATO in Alcibiade, XENOPHON in Pæd. Cyr. & ATHEN. L. IV.* testantur. Sic apud Ægyptios antiquissimum exemplum hujus moris habemus *GEN. XL. v. 20.* Herodianos quoque Herodis Magni Natalem celebrasse notat *CASAUB. Exercit. Baron. XV. Num. I.* quamquam ita accipi velit *ἡμέσια HEINS. in Exercit. Sacr. ad C. XIV. Matth.* ut intelligatur non *ἡμέσεως*, sed suscepti regni dies. *Illud tamen non ignoro, inquit, cùm de regibus sermo est, מורדת יום seu natalem diem eum dici, qui & dies regni dicitur, quò quisq; scil. creatus Rex est, qu. eo die natus sit, quiq; Os. יום המלך, Hellenistis ἡμέρα βασιλέως, dicitur: die regis nostri fecerunt eum principes agrotare. Kimchius: die, quo creabant Regem: quem diem & מלכנו regis nostri dicebant, quomodo & ibi dicitur. Quid quod ab eo, ut natali, annos supputabant? ut tot annos nati dicerentur, quot regnarent: quemadmodum 1. Sam. 13. 1. ὄς ἐνισαυτὸς filius unius anni Saul dicitur, cùm annum, nec amplius, regnasset.* Apud Græcos deinde quàm notissima fuisse *ἡμέθλια*, festa diei natalis privata, quæ vivus quisq; die natali anniversario celebrabat, simpliciterq; *ἡμέρα* dicebantur καὶ ἐξοχλῶ, ex *Hesych. Gl.* observat *JO. MEURS. L. II. Græc. Fer. cum AMMONIO de Differ.*

voc. hoc discriminis instituens inter *γενέθλια* & *γενέσια*, quòd
 hęc amici ac familiares, defuncti memoriam conservare
 studentes, itidem ejus Natalem celebrarint. Siculos præterea
 omnes diem Natalem Timoleonis, Ducis Syracusanorum,
 velut multiplicis victoriæ authorem, festum egisse, ex *Probo*
 aperit *ED. NEUHUS. L. II. Fatidic. Sacr. c. XXXII.* Romanos sin-
 gulorum dies natalitios (unde festa dicta *Genethlia*, & car-
 men, quod tunc decantabatur, dictum *Genethliacum*) lætos
 celebrasse, *pulte, fritillo, mero, libis, floribus & thure* sacra anni-
 versario Genio facientes, refert *ALEX. AB ALEXANDR. L. II. Gen.*
Dier. c. XXII. Reperio etiam apud *KIRCHM. de Annulis C. XVII.*
 quosdam annulos solo die natali gestare solitos: Ita enim
 pleriq; interpretes accipiunt Locum *PERS. Sat. I.*

pexusq; togaq; recenti

Et natalitiâ tandem cum Sardonyche albus.

Quamquam intelligi quoq; possit annulus, die natali ab ami-
 co dono missus, quæ paraphrasis est *JO. BOND.* Et hunc in
 magno precio habitum, cumq; cura reservatum, *PLAUTUS*
 aperit *Curcul. Sc. penult.* ubi, cum Planesium virgo dixisset,

Verùm hunc servavi semper mecum unâ annulum,
cum hoc olim perii;

Miles paulo post, inspecto annulo, subjungit:

proh Jupiter!

Hic est, quem ego tibi misi natali die,
tam facile novi, quàm me.

Ludos deniq; solemnes Julios Danorum, quos sub nomine
Juledag celebrabant, Sole Capricornum ingrediente, in ho-
 norem Natalis Julii Cæsaris institutos fuisse nonnulli arbi-
 trantur, quam quidem sententiam minùs vero litare credit
OL. WORM. L. I. Fast. Dan. c. VII. quia Julii Cæsaris Natalem in
 mensem Quintilem seu Julium incidisse scribit *MACROB. L. I.*
Saturn. c. XIII. Verùm NOMINALIS DIEI festivitas unde sit,
 non

non satis liquide constat. Ego, si conjecturae alicui hic locum dare licet, non inepte suspicor, solemnitatem illam natales debere Nominalibus Veterum, quibus nomina imponebant infantibus. Non enim dubium est, quin horum annua repetitio instituta fuerit, ut sedulo de prima hujus aera fruitione omnes recordarentur, quae quia saepius incerta evadere solebat, quo facta die, usu denique venit, ut in illum diem conjiceretur, in quem annuatim nomen inciderebat, ipsis quod Nominalibus alicui inditum erat. Nempe apud Ebraeos post circumcisionem octavo die a partu nomen infanti impositum legitur *GEN. XXI.3.4.* Per septem enim dies foetus natus ex ceremoniali lege immundus erat, unde nec bestiae ante octavum diem ad sacrificia erant idoneae. Nec aliud quoque in ea re spectatum arbitratur *HUGO GROTIUS in Not. ad Luc. c.I.* quam quod, cum multi ad circumcisionem advocarentur, iidem meminisse possent impositi nominis, si qua olim controversia oriretur. Parentum vero aut avorum nomina posteris imponebantur apud Ebr. ut ipsa nominis recordatione ad imitandas eorum virtutes accenderentur. Sic & apud Graecos a Pyrrho plures Pyrrhi, a Philippo Philippi. Et apud Poenos Annibal avi nomen ferebat. *ULPIANUS ad Orat. Demosthen. de male obit a legatione:* Εἰκὸς γὰρ ὡς τὸν Πρωξένον τὸ Ἀρμόδιος ὀνόματι γένεσθαι ἐπὶ Ἰωνῶν ἕσθαι. Is enim Proxenus ab Harmodio genus ducebat. Et *PLUTARCHUS in Cimone* ait, Thucydidem fuisse πατρὸς Ὀλόρου εἰς τὸν Πρωξένον ἀναφύωντι τὴν ὀμωνυμίαν. Porro apud Graecos infans quinto lustrari solebat die, qui dies ἀμφιδρόμιος dictus est a ritu, quo cursim circa focum gestabatur puer: ἀμφιτρέχω enim est circumcurro. *Αμφιδρόμια* hinc orta, quae, affinia Nominalibus Latinorum, teste *HESYCHIO in Gl.* etiam δρομιάφιον ἡμερῶν inde dicta, quod puerum recens natum tunc in curriculo circum focum ferrent. *HARPOCRAT. Αμφιδρόμια. Ἡμέρα τις ἤγεται ἐπὶ τοῖς νεογονοῖς*

γουοῖς παιδίοις, ἐν ἣ τὸ βρέφει ὡδὸν τὴν ἐσίαν ἔφερον τρέχοντες.
 Tunc autem, panem occultatum affantes, nutrici puerum
 tradebant, ut Auctor Etymolog. refert. *Amphidromia*, inquit,
 ἐστὶν ἵπιν ἀθλήσει τελευτή, καθ' ἣν ἐγκευφίει ἄετις ὀπτομήρις, ἵπιν
 τῆς ἐσίας ἵπιντρέχουσι. Tunc quoque, de qua re egregium extat
 apud *ATHEN. Libb. II. VIII.* fragmentum ex Ehippi Geryone,
 januam coronabant, victimam pro vita pueri immolabant,
 ac convivium instruebant, sed corona erat oleagina, si puer
 ille masculus esset, lanea, si foemella. Observat hoc apud *He-*
sychium *JO. MEURSIUS Græc. Fer. LI.* De sacrificio verò notus
PLAUTI Locus in Trucul.

Quin diis sacrificare hodie pro puero volo,

Quinto die, quod fieri oportet.

Tunc manus item purgabant mulieres, quæ in obstetricatu
 adjutrices fuerant, teste *SVIDA*. Porro, ut nativitati Deus γενέ-
 νεβλιος præerat, ita Amphidromiis hisce *Amphidromiis* præsens
 assignatur apud *ÆSCHYLUM in Semela*. Atque hæc facta sunt
 die quinto. Sed decimo die nomen imponi nato solitum
 legimus, convocatis propinquis & amicis, ac sacris iterum
 factis, convivioque novo agitato, quod utrumque δεκάτη ap. *SVI-*
DAM dicebatur, & parentes convivium exhibentes diceban-
 tur δεκάτῳ ἐστίασαι, sacrificantes δεκάτῳ θύειν, ubi quoque
 eligebatur quidam *εργισάμενος* τῆς ὑποδοχῆς, qui nominis
 impositioni quæ. Susceptor præesset, κύριος τῆς θέσεως τῆς ὀνό-
 ματος dictus, ap. *POLYEN. Strateg. VI. in Jafone*. Sic Latinos
 denique octavo die puellas quidem, nono pueros lustrasse legi-
 mus, qui *dies lustricus* *SVETONIO in Ner. c. IX.* *SYMMACHO*
lustratus; VARRONI L. VII. de LL. nominalis, quia nomen tunc
 indebatur; *TERTULLIANO L. de Idololatr. c. XVI. nominalia* dici-
 tur, ut exprimantur Græcorum ὀνομασίαι. Hinc & *GLOSS.*
PHIL. habet ὀνομαθεσία. At *GLOSS. CRR.* ὀνοματοθεσία *nomi-*
nalium, nuncupatio; vel sine commate; ut sit nominalium nun-
cupatio,

eupatio, i.e. illa, quæ fit Nominalibus. *FESTUS. Lustrici dies infantium appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, quia his lustrantur, atq; iis nomina imponuntur. Inde, inquit TURN. L. XX. c. XXIII. explicandus Ulpianus, qui in cap. de decimis scribit: Item communis filius filiave post nonum diem amissus amissave, unam decimam adjicit: duo autem post nonum diem amissi duas decimas adjiciunt.* Hic enim nonum diem propter lustricū diē dicit, quō ad epulū & convivium propinquos vocari solitos *CAPITOLINUS* docet his verbis: *Cum rarum esset aquilas in his locis videri, in quibus natus est Albinus, septima ejus diei hora convivii, quod celebritati pueri deputabatur, cum ei fierent nomina, septem aquila parvula de nidis allata sunt.* Sed cur nomina infantibus non ante diem octavum imponerentur, causam esse *PLUTARCH.* in quō. *Rom.* dicit, quia septimus dies cum in cæteris tum ad umbilicum infantibus nuper editis periculosus esse consuevit: septimo enim die plerisque resolvitur. *PETR. FABER I. Semest. c. VI.* *Ante Septimum diem, quod sanguinolentorum (sic enim nostri vocant L. ult. c. de patr. qui fil. distrax.) i.e. recens natorum, & ad huc à matre, ut Juvenal. canit Sat. 7. rubentum, plerique extinguerentur, ideo receptum est, ut septimo die pueris nomina imponerentur.* Quod idē sentire videtur *ARISTOT. L. VIII. bist. Anim.* quando ait: *plurimi ante septimum diem intereunt, unde fit, ut nomina septimo die imponantur, tanquam jam saluti pueri magis credamus.* Aliam causam quoque prodit, citante *BEROALDO* in *Comment. ad Sveton.* *PLUTARCHUS*, quæ Physica est de numero pari & impari, tanquam octonarius foemina credatur, novenarius verò mas. Omnia hæc, quæ de Romanis diximus modò, altius congerit antiquitatum hamaxarius ille *ALEX. AB ALEXANDR. GENIAL. Dier. L II. c. XXV.* *Cum, inquit, infans editus primam lucem hausisset, Romanis erat in usu, ut, ab obstetrice exceptus, humi sterneretur, quasi divinationem futuri exitus*

exitus inde auspiciati: lectoq; Pilumno & Picumno in adibus pa-
 rato ita augurabantur, ut his presidibus Diis vitalis foret: neve
 Sylvanus in domum irrepere valeat, quem vexare pueros opinio
 erat, ad fores adium tres viros, qui pervigiles domum circuissent,
 advocabant, quorum primus limen securi, alter pilo feriebat, ter-
 tius verò scopis everrebat, mox nomen & tempus editorum filio-
 rum apud praefectos ararii publicis actis testarentur & scribe-
 rent. Quae quidem in Saturni aede tanquam publica monumen-
 ta servari proditum est. Deinde cum cibo & potu eum initia-
 rent, Eduse ac Potina sacra facerent, eodemq; Adolescentia, Ma-
 je, quae fatua dicta est, ac Statano & Fabulino more patrio im-
 molarent. Fuitq; receptus mos, ut in testudineis alveis, aut ex
 tergore marinarum testudinum factis, calda pueros abluerent,
 mox oleo & butyro perungerent. Spartani quandoq; mero ab-
 luebant, quod vino admoto resolvi aegritudines putarent. Non-
 nulli sale & aqua. Galli praelido amne, ut à teneris calores
 & frigora pati ediscerent. Idem Thraces Scythaeq; Maribusq;
 nono die, postquam in lucem editi fuissent, foeminis verò octavo
 nomina imponebant, nonnunquam septimo, qui dies lustricus no-
 men habet, &c. Nonno vero die nomina infantibus indere anti-
 qui moris fuisse, illud exemplo est, quod Nundina apud Romanos
 magnae religionis erat. Alia plura ad hunc ritum facientia ha-
 bet JOS. SCALIG. L. II. Lect. Auson. c. XXII. IS. CASAUB. ad Pers.
 Sat. II. JO. MEURS. Exercit. Crit. L. III. c. XXXIII. FRANCISC.
 JUN. in Not. ad Tertull. Vides itaque, VIR AMPLISSIME, unde
 annua NOMINALIUM, quae hodie nimis frequens est, festivitas
 natales repetere mihi videatur. Firmat conjecturam meam
 TERTULLIAN. Libr. de Idololatr. Circa officia, ait, verò privatarum
 & communium solemnitatum, ut togae purae, ut sponsalium, ut
 nuptialium, ut nominalium, nullum putem periculum observari
 de statu idololatriae. Atq; haec sunt, PATRONE ac FAUTOR
 auro contra mihi charior, quae hoc die, ANDREAE memoriae
 sacro,

facro, qui ipse est NOMINALIS Tuus, de DIE NOMINALI commentari, tuoq; nomini inscribere volui, & ut favorem, quò me hætenus exornasti uberrimè, aliquã ex parte rependerem, & ut animum tuum, quem Antiquitatis noscendæ cupidum hætenus satis cognovi, aliquantisper à seriis occupationibus hodie sevocarem, atque dulci veneno, quod vocant Antiquitatis studium, ex re præsentis nato, recrearem; nec dubito, quin benevolè *Commentationem hæc parergicam* sis excepturus, quia pronuper de prisco me certiore favore reddidisti. Ne verò sine voto compaream, unicū superest, quod Coronidis loco pro incolumitate tua, quã liberorum tuorum salus continetur, suscipio pariter, & signo. Nempe ut, Genio precibus fieri solitis, quas citat *BRISSON. L.I. de Form.* à NATALI quidem petitum, UT CANDIDUS VENIRET, quod transferebatur & ad felicitatem & ad prosperitatem significandam, *TIBULLO & OVIDIO* testibus; nimirum ille *L.I. Eleg. VIII.*

*At tu NATALIS, multos venerande per annos,
CANDIDIOR SEMPER, CANDIDIORQUE VENI.*

Hic L.V. Trist. Eleg. VI.

*Optime Natalis, quamvis procul absumus, opto,
CANDIDUS huc venias.*

Ita, cum commodum alia non adsint, quæ muneri hodie mittam, simplex hoc cunctaque complexum unum Votum TIBI, VIR AMPLISS. esto:

**CANDIDUS TUUS VENIAT
NOMINALIS!**

Β ΠΡΟΣ

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ

DORICA

ad

OCULISSIMUM DN. PARENTEM,

TUTELAREM OPT. MAX.

Ipsis Nominalibus

fistulâ Theocriteâ

decantata,

ΚΩμάσδω ποτὶ τὰς Μῶσας, τὰ ἤ κήδη ἐμοῖνη
βόσκουσαι καὶ ὄρη, καὶ ἀήτης αὐτὰ ἐλαύνει.
Ἄρχετε τὰς γλυκερᾶς, Μῶσαι φίλαι, ἀρχεῖ ἀοιδᾶς,
δεῦτε φίλ' ἐννέπετε, σφόδρα μεῦ πατέρ' ὑμνείωσαι.
Ἄλλεται ὀφθαλμός μου ὁ δεξιός. Ἄρα γε εἶδω
πατρός, ἐμὴν τὸ καλὸν πεφιλαιμένην, ἀδὺ ἐκείνη
ἠδὲ φάσκει καλλῆς τὸ ὀνομάσματ' ἀγνῆ;
καὶ κέ μ' ἴσως πολίδη, ἐπεὶ σὺκ ἀδαμάντιν' ἐντὶ
ὠπὸλλων, καὶ ἀσεῦμαι νυῦ ὠδ' ἀποκλιθεῖς.
Ἔστι καὶ ἐν γλυκεραῖς ταῖς ὄχαις ἀδέα τέρψις.
Τήμερον ἀλλὰ φύγοι ἀ δυσυχί, ἄρα λεαίνας
μασδὸν ἐθήλαζε, δρυμοῖς ἀν' ἔτρεφε μάτης,
μηδὲ βαρὺς θεός, ὦ φιλότεκνε πάτερ, φίλε ἀνδρῶν,
ὡς τὸ κατασμύχων εἰς ὀσέου ἀχρῆς ἰάπῃοι,
ἀλλὰ καὶ εἰς ὄρας κήπειτα τῷ ἐν καλῷ εἴης,
Ἄμμε πεισέλλων, βαθυὶ ἀλλόμυθ' ἐς ἔρωτα.

&

*Latinè reddita, ut versus
versui respondeat.*

IBo meas visens Musas, sed monte seqvaces
pascantur curæ, modò qvas vaga moverat aura.

Incipe

Incipe votivas mecum, mea Musa, camœnas,
O age, Musa loqvax, dulcem cane casta PARENTEM:
Nam mihi nunc oculus dexter salit. Anne coruscum
cerno ONOMASMA PATRIS, contra qvi charior auro?
Est lux pulchra, polo pulchrè qvæ surgit ab alto.
Sors erit, ut videat qvoq; me, nam ferreus haut est,
Cynthius, atq; jacens modulabor carmina blanda.
Dulce est in votis, & in his qvoq; magna voluptas.

*Aspera sors hodie fugiat, qvæ forte leana
Uberibus nemorum propter qvercet a pependit!
Ne tibi Jova gravis flagrans nunc ossibus imis
hæreat, at potius saluum is te servet in annos
omnes, qvi curas gnatos gnatasq; tenellas,
dum te, DULCE DECUS, totum gravis occupat ardor.*

ab

Augusto Beccero, Filio
ad nictum obedituriente.

APPLAUSUS
VOTIVUS,
iisdem Nominalibus

MARONIS TUBA
decantatus,

ECce redit nobis aurora, diemq; reducit,
Nosq; suis Oriens afflat anhelus eqvis:
Nam cum sole novo terris irrorat Eous,
Et niveo roseum fert Onomasma polo.
Fert Onomasma, *Parens nulli pietate secunde,*
Dulce polo nobis fert Onomasma tuum,
Tempore qvô seros hiberni ad luminis ignes
Pervigilat quisqvis, nocte tegente diem.

B 2

Invitat

Invitat genialis hyems, & solvere curas
Ipsa jubet pavidas, fundere vota jubet,
Dum nix alta jacet, glaciem dum flumina trudunt,
Dumq; dies brevior, frigus & urit iners.
O Pater Ample, tuis illis Onomasmata vive,
Vive tibi lætus, sospes in orbe mihi.
Nunquam quinta tibi tunc Luna appareat, in qua
Eumenides natae, pallida quæq; creat
Cœumq; Japetumq; ferum sævumq; Typhœa,
Candida sed potius quælibet hora fiet.
Omnis sit tibi lux albo signanda lapillo,
Nestoris & veniat sera senectæ Tibi!
Quot medio tostas æstu terit area fruges,
Quot rubicunda Ceres dulcia grana dabit,
Tot Pater in media nimborum nocte secunda
Fata creet superus! Fata sinistra petant
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia! Dulces
Sint somni tibi, sit dulcis abusq; labor!
Nos gnati sic, sic gnatae gaudebimus omnes,
Cœlitus hâc dextrâ sorte fluente Tibi.

â
GOTTLOBIO BECCERO,
filio obsequentissimo.

F I N I S.

Coll. Diss. A 169, univ. 37